

Wachter:
Perbreuer
medicatio-
ner deorigi-
ne et prae-
rogativa duc-
torum.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-845663-p0002-1

DFG

21

omiss.
adsc. kgl. p. 124.

PERBREVES
MEDITATIONES
DE
ORIGINE
ET
PRÆROGATIVIS
ELECTORUM,

editæ Kgl 1329
à

JOANNE CHRISTIANO WACHTERO,

JCto & Advocat. ord. Heidelberg.

Franckofurti ad Moenum 1719.



11.0

851

SERENISSIMO
ET
POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO
AUGUSTO WILHELMO,
DUCI BRUNSWICENSUM,
ET
LUNEBURGENSIS
PRINCIPI;
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Salutem & prosperitatem perpetuam.

SERENISSIME ET POTENTISSIME PRINCEPS.

Quando memoria Vestræ, Serenissime ac Clementissime Princeps, immensæ Clementiæ me subit, ingenuè fateor eam omnes meas exiguae reddendarum gratiarum vires, multis post se relinquere parasangis. Et quamvis longo abhinc tempore summa ope nixus fuerim, ut aliquid invenirem, per quod eam submissam pietatem, quam meum perpetus amplectitur, exhibere possem; Tamen, Serenissime & Clementissime Princeps, nil quam mea exigua studia mihi restare video, quorum presentem partum ante Vestram Serenitatis pedes submissa animi devotione depono, humillimis precibus contendens, Vestram Serenitatem pacato vultu eum excipere, & in gratissimi ac devotissimi cordis sincero humillimoque sacrificio habere, Clementissimè dignari:

)(2

Tu

*Tu quoq; cum Patriæ Rector dicare Paterꝝ
Utere more DEI, nomen habentis idem.*

Ceterum precor, ut DEUS Ter O. M. in *Ve-
stræ Serenitatis & Serenissimæ Conjugis Capita*
omnis Felicitatis Palladem inde in subditorum do-
micia defluxuram benignissimè mittere, hancce
Serenissimam Bigam ad summum beatæ vitæ
Culmen, nunquam cessante indulgentia, perdu-
cere velit. Hoc vovet humillimè

Vestræ Serenitatis

Heidelbergæ d. 4. Aprilis
M DCC XIX.

Subjectissimus & devo-
tissimus Servus,

Joannes Christianus Wachterus.



AD LECTOREM.

Miraberis sanè, Benevole Lector, me in explicanda materia valde spinosa, ac neque in historiarum scrinio annotata, nec in editis Doctorum satis explicata, prout Carpz. in Repert suo pag. m. 400. b. in fin. & pag. 401. a. in pr. ipse ingenuè fatur, operam navâsse. Cum autem mihi haud assume-re coner, auctores, hac de materia sparsim scribentes, corrigere, aut aliquid TIBI dare, quod præsumptionibus contrariis haud possit aliquo modo impugnari, præ-sertim cum ex sententia diserti illius togati, nil tam indubitatum, nilque tam clarum sit, ut de eo non possit institui sollicita quadam Disputatio. Ideo TE, Benevole Lector, vehementer prenso, ut eis, qua Tuæ opinioni haud consentanea videantur, benigniorem limam sis intenturus.

A

SECTIO

SECTIO PRIOR.

Originem ELECTORUM exhibens.

Aphor. I.

Anquam nigrum, seu rem ipsam penitus simus contemplatur, rubrum quoque seu Etymon nominis nonnihil venit perstringendum. Verba enim sunt notæ rerum, ē quibus genuinus harum intellectus maximam partem non raro hauritur. *Cajus in l. 1. de de Orig. Jur. Mascard. in Proem. ad Concl. n. 6.*

Cunabula ergo vocabuli ELECTORIS quod attinet, derivatur ab eligendo, erkiesen / erwehlen / test. *Calvini Diction. ad vocem Elect.* Unde adhuc hodie dicimus, außerkohren / pro außerbawlt / Besold. *Thes. pract. voce Chur / & potissimum ab officio eorum desumitur, Boel. not. Imper. l. 6. c. 1. de Elect. nomine.* Electores enim vacante Imperii Sede, vel per mortem, vel resignationem, vel depositionem Imperatoris alium eligunt, qui priori legitimo modo succedat, *Brautlacht. l. 2. c. 1. de Elect. Imper. §. 7.*

Cui derivationi etiam adstipulatur idiotismus patriæ lingua, quo Chur-Fürsten / ab antiqua voce Rühr oder Rohre.

Köhre vocantur, quæ idem denotat, quod tritum ac' hodie
næ dialecto Germanicæ magis conveniens vocabulū **Wahl**/
Boecl. dict. loc. Hinc mala consuetudo nobis **Ch** pro **R**
obtrusit in **Chur-Fürst** pro **Kuhr-Fürst** / si fides habenda
Harsd. spec. Philolog. Germ. disqu. 10. S. 6. Atque inde
tali in sensu s̄xpius in A. B. appellantur Principes Electo-
res , die Wehler oder **Wahl-Fürsten**. Alio nomine à
nonnullis dicuntur Archi-Principes ; quod tamen ad elo-
gia ipsorum magis pertinere , & novitatem quandam redi-
lere afferit **Boecl. cit. loc.** Vocantur quoque Septem-Viri,
quoniam olim non nisi septem fuere , istâ dignitate con-
spicui , **Brautl. l. 2. c. 1. de Elect. Imper. S. 11.** & **Jacob.**
Lampad. de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 4. de Elect. Nec
desunt , qui de ratione hujus numeri Septenarii scrupulosè
disquirunt , afferentes , numerum Septenarium semper
habitum fuisse perfectissimum & sacratissimum. **Azon.**
in summa Cod. de vetr. Jur. enucl. n. 6. Imò tantam
huic numero veteres inesse putarunt Majestatem , tantam
Divinitatem , ut sacrum & venerandum appellarent,
VVurfb. de num. sept. Unde etiam maximi momenti res
plerumque hoc numero absolutas fuisse , legimus. Sic
Persarum septem Principes , Cambyses sine liberis defuncto,
sortem , vel potius equihinnitum ad creandum Regem ad-
hibuisse , testis est ex **Herodoto Bodin. de Republ.** Sic
Septemviratum apud Venetos secretius habere consilium,
idem Bodin. adstruit. Pari argumento septem sunt officia
Regni Siciliae , observante **Andr. Knich. Comment. in Jus**

Saxon. verb. Elector. Sed de his sententiam meam suspendere , & ad DD. Judicia provocare malo , quām inanibus conjecturis curiosam nonnullorum promovere scrupulositatem. Communissima sententia , cur numerus Electorum impar constitutus fuerit , ea est , ut tribus Electoribus reliquis dissentientibus , quartus alterutri parti accedens discordiam componet , atque sopiret. Postea Octo-Viri erant & dicebantur , Pacificatione Osnabrugensi Octavo Electore Bavarō confirmato. *Inst. Pacis art. 4.* Deficiente autem Linea Bavaria deficit quoque Elector Octavus , *dicit. Instr. Pacis §. 9.* Denique 19. Decemb. 1692. Ernestus Augustus , Dux Brunsv: Luneburgens: in numerum Electorum fuit receptus , & sic iam novem existunt Electores. Lineā hāc Hannoverana extinctā , Illustrissima Guelpherbyti Metropolin habens (de qua AUGUSTUS WILHELMUS , Optimus certè Princeps , imò deliciæ generis humani , quem Deus longè clementissime conservare velit , habenastenet) Jure iterum succedit.

Aphor. 11.

EVentilato , quantum fieri potuit , Electorum nomine , Ead: indagandam Eorundem originem me recta accingam. Qua de varii vareas fovent opiniones , præcipuas bona fide enarrare , fundamentaque Eorum diligenter excudere sedet animo , ut , quid ex omnibus feligere præstet , non adeò operosè possimus invenire , cum alias in vetustis initium facile ignoretur. *l. 28. de probat.* Per vulgatissima omnium est sententia , ordinem Electorum pri-

primum ab OTTONE III. circa annum 996. aut secundum supputationem Beutheri 997. introductum fuisse, eandemque potissimum prodiderunt, Naucler. Gener. 34. Cusan. Conc. Cathol. c. 4. Marsil. Patav. de transl. Imper. c. II. Munst. in Cosmogr. Platin. in vit. Gregor. V. Cranz. Sax. l. 4. c. 25. Flac. Illyricus de translat. Imp. Sleid. de 4. Monarchiis. Franc. Irenic. Germ. exeg. l. 3. c. 29. 33. Et 34. Otto de J. P. c. 10. aliquie quamplurimi; ita ut magnum hujus opinionis sit præjudicium, tot testibus, ut videtur, omni exceptione majoribus, circumvallatum. Nihilominus tamen non pauci quoque extiterunt, qui eidem cornua obvertere sunt ausi, his præcipue rationibus moti: Quod nemo istius temporis Scriptorum tantæ rei ab Ottone III. constitutæ fecerit mentionem; Quod familiae Electorum sacerdotalium, angustius tunc habitaverint, nec tanta, ut hæc luce, claruerit auctoritate. Imò quod in sequentibus temporibus non hinc tantum Proceres, sed & alii Imperii Principes suffragium in electione tulerint: denique, quod Bohemiæ Rex tunc nullus extiterit, sed Ducibus Bohemiæ sub Friderico I. demum regia dignitas collata legatur. Quas rationes prolixius refert Heig. part. I. quest. 3. n. 6. Quibus pollicem premit Pancrat. Lampad. in Politischen Reichs Handb. art. 15. vom Ursprunge der 7. Chur-Fürsten/ adserens errorem de Constitutione Illustrissimi hujus Ordinis ab Ottone III. facta exinde enatum esse, quod Martinus Polonus Innocentii IV. Pontificis Pœnitentiarius ali-

quam multis annis deinceps scripsiterit : Ottonem alterum
alteri in Imperio successisse : postea autem constitutum
fuisse , ut per Officiales Imperii , qui sunt septem , elige-
retur Cæsar ; Ubi voculam POSTEA à plerisque non rite
intellectam , perperamque ad tempus Ottonis III. appli-
catam fuisse , affirmat d. loc. §. 4.

Aphor. *III.*

Bellarminus in *Romana arenal. 3. de translat. Imper.*
Rom. c. 3. GREGORIUM V. Pontificem , non
sine assentandi animo , autorem Electorii Ordinis prædi-
cat , adductis in eam sententiam & Historicis & Decretis
Pontificum. *Confer* huc etiam *Piccart. Nott. ad Polit.*
Aristot. pag. 819. Cùm autem ille hanc suam relationem
ipse in dubium vocet ; hæc Bellarmini opinio nullam fidem
meretur. *test. Pancrat. Lampad. loc. suprà allegato* §. 5.

Aphor. *IV.*

Succedit tertio loco Jacobus Lampadius *de Republ. R.*
S. G. p. 3. c. 4. §. 3. asserens ; Si quis Imperatorum Septem-
Viros unquam certè definierit ordine fecisse id Fridericum
II. & ad corroborandam hanc sententiam sequentes in me-
dium affert rationes : Quòd ante Friderici II. ætatem
Septem-Virorum non meminisse annalium Scriptores ,
prodiderit *Thuanus 2. hist.* Martinus verò Polonus , qui
a tempore Friderici Imperatoris ad Rudolphum ætatem
duxerit , disertè tam nomina , quàm officia Septem-Viro-
rum descripsiterit , annexis versibus :

Mo-

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux Portitor Ensis,
Marchio Praepositus Cameræ, Pincerna Bohemus;
Hi statuunt Dominum cunctis per secula Summum.
Et quæ sunt aliae rationum struices, quas dicto loco fu-
siùs dedit.

Aphor. V.

Quartum locum sibi vindicat Panc. Lampad. in *Politi-
schen Reichs Händeln art. 5. §. 7.* exerte statuens:
Origine in Ordinis Electorii non in peculiari quadam Con-
stitutione, sed diuturna observatione consistere, eam-
que tempore Interregni cœpisse, ac processu temporis na-
turam legis induisse. Quam sententiam suam tām ex Cor-
pore Juris Canonici, in *c. venerabilem extr. de Elect. Et
Elect. potest.* ubi Innocentius III. disertè ad antiquam con-
suetudinem provocat; quam A. B. c. i. per verb. *Secun-
dum antiquam Et laudabilem consuetudinem,* luculen-
te corroborat.

Quod autem potestas eligendi Imperatoris tempore
Interregni demum ad Electores solos pervenerit, non tan-
tum variis variorum Imperatorum (cum primis Henrici II.
anno 1002. Conradi Salici anno 1024. Henrici III. anno
1028. Henrici IV. anno 1053. Friderici I. 1152. Friderici II.
anno 1212.) electionibus, sed insuper etiam ex Bellarmino,
Buxtorffio, Limnaeo, & aliis probat; quō de agentem vide:
Lampad. d. l. §. 20.

Aphor.



Aphor. VI.

Quintum locum denique inter tot opinionum divertia sibi seligit Michael Beutherus, affirmans: Nunquam ante Carolum IV. Aureæ Bullæ fundatorem secundum istam familiarum seriem septem simul Electorum apud Historicos fieri mentionem. Sex Electores quidem ante fuisse, sed Regem Bohemiæ sub Carolo IV. demum accessisse, & septinarium absolvisse; de quibus omnibus vid. ipsius *Animadv. Hist. c. 13.*

Aphor. VII.

Recensitis hactenus, si non omnibus, certè præcipuis de Electorum origine opinionibus, proximum nunc est, ut in tanta sententiarum varietate, quid nobis videatur, nec ne, breviter definiamus. Quamvis igitur, ut de priori eaque receptissima primùm agam, autores citati non sint oculati testes temporum Ottonis III. unde infallibiliter constare possit, septem, nec alios, quàm eos, de quibus hic agimus, ab Imperatore eodem fuisse constitutos; Maximè cum potentia Familiae Palatinæ, & Brandenburgicæ tunc temporis non tam eximia, nec, qui in ea extiterunt, tanta, ut hodie, auctoritate fuerint conspicui. *Cranz. Vand. l. 3. c. 15.* adhæc in annorum descriptione, in quos incidere refertur hæc Ottonis sanctio, mirè varient auctores, secundum *Mich. Beuth. Animadv. Histor. c. 13. n. 18.* & *Boecl. Not. Imper. l. 6. c. 1. de Elec[t].* Tamen etiam atque etiam circumspiciendum est, utrum à tam per-

vul
co
de
bi
bu
pr
de
no
H
re
su
bu
L
ct
Pa
an
sc
à
V
ex
h
li

vulgata , & quæ secundum *Heig. part. i. quæst. 3. n. 13.*
communis jure merito dici potest , ac quoisque recedere
debeamus.

Aphor. 11 X.

Quod si de Palatina Familia queritur , negati quidem
non potest , eam angustius olim , quam hodie ha-
bitasse ; Germania enim crebris Hungarorum excursioni-
bus , quibus eam miserandum in modum dilacerabunt ,
pressa , sub Ottone Magno vix respirare cooperat , *Sleid.*
de 4. Monarch. in vita Ottonis Magni. Hoc tamen
non obstante testis est *Franc. Iren. Germ. exeg. l. 3. c. 54.*
Henricum Palatinum tempore Ottonis III. primum Electo-
rem fuisse constitutum , cuius postea stirpe extincta , alii
successerint , donec ordo Illustrissimam familiam Neo-
burgicam tetigit ; Ex qua hodiernâ luce CAROLUS PHI-
LIPPUS ELECTOR , mirifica Clementia præditus , Ele-
ctoratus Palat. gubernacula tenet . Imò Imperator Ipse
Palatinum sacerularibus annumerat Electoribus , *Weichbild*
art. 14. Brandenburgicam verò quod attinet , non mi-
nus temporibus illis territorio arctioribus finibus circum-
scripto contenta vixit ; præsertim cum Marchiam ipsam
à Vandalis & Slavis occupatam ferè fuisse testetur *Cranz.*
Vandal. l. 3. c. 15. Nihilominus tamen ante pridem
existimavit Georg. Sabinus in vita Hugonis Marchionis ,
hunc ipsum sub Ottone III. cuius etiam Vicarium in Ita-
lia egisse proditur , aut fuisse primum ex Marchionibus

Electorem , aut effecisse apud Ottонem III. ut Marchio-
nes Brandenburgenses in numerum Electorum adsciscen-
tentur , licet *Franc. Iren. Germ. exeg. l. 3. c. 57.* Hen-
ricum Marchionem primum sub Ottone III. Electoratus
splendore ornatum fuisse scribat. Sic *Heigius* etiam
part. 1. qu. 3. n. 39. refert , constare ex antiquis monu-
mentis , secundum alios Imperii Proceres Marchiones
Brandenburgenses electionibus interfuisse , suōque suf-
fragio Imperatorē rebus sic postulantibus designāsse.
Quid? quod Imperator Ipse eos secularibus annumeret
Electoribus supra *alleg. jur. municipal Saxon. Weichbild*
dictō art. 14.

Aphor. IX.

AD secundam rationem , quæ ab opinionis contra-
riæ defensoribus intorquetur , abundè respondit
Schard. lib. sign. de Elect. orig. quibus & nos nonnulla
subjiciemus. Haud sanè mouere nos debet , quod alii
etiam Principes super novi Imperatoris Electione fuerint
requisiti , & suffragia tulerunt. Id enim solenne tum
fuisse constat ; neque tamen ideo Electoribus autoritas
sua erit deroganda. Etenim primam illos vocem habuisse ,
& auctoritate cæteris superiores actionem totam vel præ-
cipue gubernāsse , vel reliquis Imperii Statibus illustri
exemplo præluxisse asserit. *Heig. part. 1. quest. 3. c. 47.*
Imò si memoriarum conditores imprimis *Arnold. Ab-*
batern ad Helmold. l. 7. c. 15. excutimus , idem luculen-
ter

ter reperimus comprobatum. Quibus addi potest Sächs.
Land-Recht l. 3. art. 57. ubi expressè scribitur : Præter
Electores etiam succedere electionem omnium Imperii
Principum tam Clericorum, quàm Laicorum, non quòd
sicuti prædicti secundùm eorundem placitum eligere de-
beant, sed quem Illustres, h. e. Electores eligunt, eun-
dem præ cæteris in Regem nominabunt. Et Weichbild
art. 14. ubi apertè probatur : Non debere Electores alio-
rum Principum vota excludere, sed eos quoque in consi-
lium adhibere.

Aphor. X.

DEnique, ut vel maximè concedamus, tempore Impe-
ratoris Ottonis III. non omnia adeò ordinatè fuisse
disposita, tamque congruenter aliquid proferri vix posse,
quod omni careat reprehensione ; certè ex præf. Weich-
bilds / ut & ex art. 14. evidentissimè patet, omnès Electo-
res, excepto Bohemo (super quo, cùm mentio ipsius ci-
tatis in locis non fiat, multùm velle decertare nihil attinet)
Ottone III. cognitos fuisse. Interim tamen, qui stupor
meus est, pervidere non possum, cur Beuthero adstipulari
teneat, ajeti Bohemum Caroli IV^{ti}. tempore demùm E-
lectoribus accessisse, & sic septenarium numerum fuisse
adimpletum. Argumento sit ; quòd anterioribus tempo-
ribus, nempè post Fridericum I. juxta Pencer. l. 4. in
Frid. p. 138. item sub Friderico II. & sequentibus teste
Jac. Lampad. part. 3. c. 4. & Panc. Lampad. in Poli-
tischen

tischen Reichs-Händeln art. 16. Bohemi & septenarii numeri diserta mentio fiat ; & quod *Cranz. Vandal.* l. 3. c. 2. tradit , ab Henrico IV. Imperatore Vratislauum Bohemiæ Ducem Regem creatum : cùmque successores Regum titulo abstinerent, deniò per Fridericum I. Imperatorem collatum esse , *Pencer. dict. loc.* & *Ursperg. ad Henricum IV. in ejus vita.* Imò quod mirari subit, *VVittichind. l. 1.* sub Henrico Aucupe Boleslaum Bohemum Regem vocat : Eum autem scriptorem sub Ottone I. Henrici Aucupis successore claruisse novimus. Quemadmodum & Ditmarum Episcopum Merseburgensem legimus clientelam, quâ Boleslaus & Miseco pater Imperio devincti erant , non dissimulâsse , referente *Heig. part.* qu. 3. n. 45.

Aphor. XI.

Tertiam quod spectat opinionem , concedimus quidem Doctissimo Jacobo Lampadio, ante Fridericum II. nullum , aut saltem per paucos Historicorum septem, sed sex tantum Electorum fecisse mentionem. Quod vero modo nominatus Fridericus peculiari quodam pacto , seu constitutione Electorium definierit Ordinem , ipsum id, citra tamen detriumentum tanti Viri honoris, affirmare vix ausim ; præsertim cùm hæc Constitutio à nemine hactenus sit producta. Multo minus id ipsum evincere potest , quod Abbas Trithemius in Chron. quam in suam sententiam allegat Dn. Lampadius , Wilhelmum Hollandum Friderici

coar-

coetaneum scribat ab Electoribus in Regalem apicem
sublimatum. Etenim is testimonio Veterum destituitur,
& pro more ævi sui loquitur, docente Joh. Andr. Cruso
de Jur. præced. l. 4. c. 5. n. 3. Imò Pancratio Lampadio
in Politischen Reichs Händeln art. 15. potius subscribens
adfero: hoc Electorum Collegium non certa aliqui vel
Pontificum, vel Imperatorum decreto atque sanctione, sed
tacito ceterorum Principum atque Ordinum Imperii con-
sensu paulatim irreplisse, interveniente temporis memo-
riam hominis superantis prolixitate. Atque huic sententiæ
calculum ut addam, invitant me expressa A. B. verba c. 1.
in pr. ibi: *juxta antiquam & laudabilem consuetudi-
nem* c. 4. de Princ. Elect. in communi s. certum &c. in
verbis: *Sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo*
c. 5. s. & quamvis &c. in verb. secundum introductam
consuetudinem; & c. 9. sub fin. iterum ad priscam con-
suetudinem provocatur. Ubi nulla sanctionis Antecesso-
rum, (quæ si in rerum natura fuisset, Carolus utique eam
allegasset) sed consuetudinis tantum seu usus Longævi, quo
Jus electionis sit introductum, mentio fit. Hancce sen-
tentiam, ut quæ à veritate proxime abesse videtur, suffra-
gio suo dignatur, Carpz. ad l. R. G. S. 5. c. 10. n. 21.
Conring. disp. de Septemv. thes. 31, 32. Paurmeist. de
Jurisd. Imper. Rom. l. 2. c. 2. n. 38. Coler. de Jur. Imper.
Rom. thes. 45. Bertram. de Comitiis apud Arumaum
th. 29. Arum. disc. 3. ad A. B. concl. 7. Heig. part. 1. qu. 3.
n. 70. Limn. J. P. l. 3. c. 1. n. 19. Reinking de Reg. S. &
B. 3

Eccl.



65 J 14 (66)

*Eccl. l. 1. cl. 4. c. 3. n. 12. Arnis. de Republ. c. 6. Dn.
Schönborn. l. 3. Polit. c. 31. Dresch. Confut. Bellarm. de
de translat. Imp. Præt. disp. 4. Can. Polit. c. 7 alii ab his
laudati. Nec obstant quorundam exceptiones, autumnan-
tium : per hanc ipsam opinionem credita Jura diu Elec-
torum convelli. Vulgatissima quippe Juris principia me
contra erigunt ac sublevant, dictitania : non minorem
consuetudini, quam scriptæ legi esse auctoritatem ; Imo
consuetudinem habere vim constitutionis, l. 1. ff. de aqua
pluv. arcend. consuetudinem Jus facere, & vim legis ob-
tinere, l. 33, 37, & 38. ff. de LL. add. Carpz. l. 4. Resp. 65.
n. 7. Consuetudinem scriptis esse fortiorum, annotat
Seneca l. 1. de Clement. c. 1. eamque probationem, quæ
ex Jure non scripto promanat, ob paritem auctoritatem
ejusdem valoris esse, cuius ea judicatur vulgo, quæ lege
nititur scripta, test. Zieg. Disp. de Eminent. Elect. Sax.
c. 2. §. 2. Satis igitur duco atque securius, consuetudini
certæ, quam Juri incerto originem Ordinis Electorii velle
adscribere.*

Aphor. XI.

Quo tempore autem ad solos Electores pervenerit eli-
gendi potestas, refert *Pancr. Lampadius* loc. suprà
allegat. Videlicet id factum esse tempore Interregni &
præcipue Rudolphi I. Habsburg, cui Electores sine con-
sensu ceterorum Imperii Statuum expresso Diadema regium
detulerint; cuius in partes etiam descendit *Onuph. Panvin.*
dt

de Comitiis c. 6. Sed de hac opinione quid sentiendum,
cuivis liberum permitto judicium ; potissimum cum illa,
quae paulatim irripere amant , vix unquam percipientur,
nec nisi conversione secuta sentiantur , Bodin. de Republ.

l. 2. c. 6. p. 292. & l. 6. c. 5. p. 1059.

Aphor. XIII.

Causas tamen haud leves reliquos Imperii Status , aut
etiam Imperatores , qui vel tacito , vel expresso con-
sensu hanc consuetudinem , permovisse , opinor . Ut enim
jam nihil dicam de sumptibus longè maximis ab Imperii
Statibus ad locum Electionis proficiscentibus insumendis ;
quos tempore Interregni variis bellorum motibus mirum in
modum debilitati ferre amplius haud valuerunt , test Pancr.
Lampad. suprà cit. loc. Nihil certè cogitari potest ad se-
ditiosorum hominum factiones ac civilia bella declinanda
utilius , quam multitudini Principum & Magistratum
creationem eripere , & paucis communicare , Bodin. de
de Republ. l. 6. c. 5. Hoc igitur caventes Electores ad se-
tantum , ut qui Electioni , tanquam præcipui Duces , mul-
tis abhinc annis præfuerant , Electionis Jus ceteris Imperii
Statibus non multum renitentibus , tensim traxerunt , do-
cente Heig. p. 1. q. 3. n. 75. Quam consuetudinem ab
Electoribus bono consilio introductam , Carolus IV. bene-
ficio A. B. planissimè , ne ulla deinceps dubitatio remane-
ret , anno post suscepsum Imperium secundo , nimirum
anno 1356. confirmavit. Voluit quippe Imperator hoc
modo

modo illis malis, quæ ex promiscua Electione solent propullulare, fibulam injicere, disputationes etiam tempore Ludovici Bavari, & Friderici Austrii, civiles in Imperio inotas sic amputare. Quod etiam in pr. A. B. ostendit, asserens; sibi propositum esse, omnem contentionum materiam sua ista sanctione ad vivum resecare. Et eodem quoque loco expresse legitur: Maximam partem eorum, quæ constituit Imperator, jam ante & dudum quidem invaliduisse. Et certè nisi jam ante Electores septem jura Electionis soli usurpassent, non passi fuissent ceteri Principes, id sibi Constitutione aliqua scripta à Carolo IV. mox afferri: Facilius enim ferunt homines sibi quædam per alicujus temporis usum & observantiam adimi, quam expressa lege, utpote quæ, si nullo alio nitatur fundamento, in odium certarum personarum facta non valet. *Heig. p. 1. q. 3. n. 78.*

Aphor. X IV.

His ergò omnibus hinc inde ponderatis, ut demum, quid mea sit sententia, breviter expediam, pro ingenii tenuitate, citra tamen præjudicium doctiorum existimo: sub Ottone III. sex Electores (de septimo enim, Rege scilicet Bohemiæ, quando ceteris accesserit, dictum haecenus aliquoties; cuius in *Sächs. Lehens-Recht c. 4.* aliorum sex nominibus relatis nulla prorsus fit mentio) electionem novi Imperatoris, tanquam præcipui Duces coepisse moderari, ac reliquorum auditis suffragiis, & collectis votis id tan-

tandem statuere, quod é Republica esse cognoscerent; donec ex consuetudine paulatim introducta, & tacito ceterorum Imperii Statuum consensu adprobata eligendi potestas ad solos tandem Electores pervenit. Quam cum soluti Imperii maximè proficuam, & ad reprimendas dissensiones intestinas aptissimam plerique judicâssent, Carolus IV. peculiari sanctione promulgata, eam stabilivit, suaque autoritate corroboravit. Atque ab illo temporis tractu pacatiora atque tranquilliora Comitia Imperium, Divinâ sic dispensante gratiâ, persensit.

SECTIO POSTERIOR.

Præcipuas ELECTORUM prærogativas exhibens.

Aphor. I.

Satis haec tenus superque de Origine Electorii Ordinis dictum puto, nunc de dignitate, quâ pollut, & privilegiis, quibus muniti sunt Excelssissimi Heroës, amplissimus differendi campus facilè pateret. Sed cum & pagellarum angustia, & brevitatis studium omnia in compendium cogere suadeant: præcipuas tantum Serenissimi hujus Collegii Prærogativas strictim delibaturi sumus. Potissima autem, & verè propria hujus argumenti sedes

C

est

et Aur. Bulla Boecl. l. 6. c. 2. respectu priorum 23. articulo-
rum Norinbergæ; respectu verò posteriorum Metis à Ca-
rolo IV. Imperiique Statibus lata ac promulgata, uti ex
præf. art. 24. Arumæo, Dieterico, Fibigio, & aliis con-
stat. Utut nonnemo Historicorum testimonia híc deside-
ret, statuens, A. B. totam fuisse confectam & promulga-
tam Norinbergæ; in Conventu verò Metensi eodem anno
primùm observatam; adeoque rubricam modò citatam
ad tit. 24. videri seculis sequentibus à quodam adscriptum,
qui forsitan minus accurate noverit, quid in hisce conventi-
bus fuisset actum, quam sententiam suó loco relinquo. In
ipsa illa, quam toties dixi, Aurea Bulla ipsius Imperatoris
voce amplissimis Electores exornantur titulis, & Palmites
Imperiales, septem candelabra lucentia in unitate spiritus
septiformis, quibus sacrum illuminari debeat Imperium;
Columnæ, & latera solidæque bases Imperii, & propin-
quiora Cæsaris membra, corporisque ipsius pars, vocitantur.
Qui velut columnæ sacrum ædificium circumspetâ pru-
dentia, & solerti pietate sustentent, quorum præsidio dex-
tera Imperialis prudentiæ roboretur, quorum prudentia
Orbi fluctuanti subveniatur; & quæ sunt alia Electorum
clogia relata à Carolo IV. in A. B. c. 2. §. *E* quia c. 3. in
princ. c. 23. *E* ult. Et certè non immerito majoribus, &
excellentioribus Prærogativis gaudent Electores, atque
alii Status, quippe quibus longè præfulgent, & pluriimo-
rum necessitatibus relevandis sic Cæsareæ sublimitati ad-
sistunt, ut in partem sollicitudinis constituti reperiantur,
A. B. c. ult. S. ult..

Aphor..



Aphor. II.

PRæcipua autem Electorum prærogativa consistit in elec-
tione Imperatoris ; quemadmodum videre est ex illo
Rudolphi II. Decreto de dato 27. Julii anno 1590, cui sequen-
tia verba fuerunt inserta : Daz der Chur-Fürsten Ho-
heit und Autorität mit eines Römischen Käyfers Gewalt
und Hoheit / daher sie auch fleust / dermassen verbunden/
daz eine ohne die andere nicht verschmählet werden / auch
eine ohne die andere nicht bestehen könne ; ja daz die hö-
hste Würde der Chur-Fürsten / damit sie vor andern
Königen und Potentaten geziehret / eben diese sey / daz
sie einen Römischen Käyfer / dessen Hoheit / Autorität
und Gewalt alle andere übertrifft / von der auch alle her-
fleust / zu wehlen haben. Hæc sanè dignitas tanta est, quâ
nulla post hominum memoriā in ullo regno extitit ma-
jor, & privilegium, cum aliis omnibus, quæ Sol mundi ocu-
lus unquam adspexit, incomparabile prorsus ; cum Imper-
atoria Majestas, quæ ab Electoribus eligenda, omnes Re-
ges atque Principes dignitate, autoritate, atque Insignibus
Imperiale gloria decorantibus maximô post se interval-
lô relinquat.

Aphor. III.

ET dignitate quidem, quod Imperator à Deo proximus
habeatur, ac neminem, nisi Deum & Ensem recon-
gnoscat superiorem, teste Brantlacht. l. 3. c. 2. §. II. Id

C 2

quod

20

quod Sacratissimus etiam Imperator Justinianus verbis sat perspicuis exprimit: Imperium inquiens, quod nobis à cœlesti Majestate traditum est, præf. ad ff. §. 1. Sic dicitur caput seculare totius Christianitatis: quâ tituli hederâ insignitur ab Electore Moguntino in formula juramenti initio electionis præstandi, uti patet ex *B. A. c. 2.* Quem honorem ac præminentiam præ cæteris Regibus ac Principibus ne Turcarum quidem Imperatores nostro invident Cæsari. Sic enim Imperator salutat scribens: Magnô & Potenti Christianorum Domino uni electo Romanorum Imperatori referente *Reusner. l. 10. epist. Turc.* & Legatum Cæsaris aliorum Regum omnium Legatis præferri apud Turcicos Imperatores notat *Joh. Leoncl. in supplement. annal.* idque nec injuriâ. Est namque Imperator caput & Dux Regum, quod affirmavit Philippus Landgravius Hassia, quando cuidam in familiari colloquio dicenti: Carolum V. nihil commodi ex dignitate Imperatoria sentire, respondit: Præter cetera commoda & hoc inde Carolum consecutum esse, ut omnibus Regibus & Principibus ratione dignitatis Imperatoriae præferatur.

Aphor. IV.

AUtoritate vero & potestate, quia Imperator est Dominus mundi, §. 2. proem. *Inst. in verb.* Omnes populi legibus &c. *Treutl. part. I. disp. 1. thes. 5. lit. a. Schneider v. proem. Inst. n. 5.* & l. *principimus 32. C. de appell.* ubi pro salute mundi laborare dicitur. *Omnia Regis sunt, inquit Seneca.*

Seneca de benef. c. 4. Rex omnia Imperio possidet, Senec.
ibid. c. 5. Omnia Cæsar habet, id. c. 6. Inde & Romanus
Princeps generis humani Dominus salutabatur ap. Tacitum
l. 3. hist. c. 68. Cæterum mundi Dominum jam inde à Lo-
tharii Cæsaris temporibus vocitâsse Imperatorem Romani
Juris Dd. attestatur Ziegler. Animadv. in Grot. de J. B. &
P. l. 2. c. 22, §. 13. quem titulum egregie illustrat Petr. de
Andlo l. 2. de Imp. Rom. c. 8. Id quod tamen non ita nu-
dè & crudè intelligendum, quasi totus terrarum Orbis Im-
peratori Romanorum sit subjectus; cùm nullus unquam
extiterit, qui de jurisdictione in mundum universum glo-
riari potuerit. Augustus enim, sub quo Imperium Ro-
manum maximè floruisse dicitur, eam Germanicæ partem,
ubi nunc est Saxonia & Hassia, in suam potestatem redi-
gere conatus est, ut ex Annalibus Taciti liquet. Ergò ante
non fuit sub ipsis auspicis; cum redigendum nondum sit
redactum. Imò in præf. Nov. I. in pr. legimus, Justi-
niani tempore Tzanos, gentes Ponticas, Romanorum po-
testati fuisse subjectos. Ergò antè non fuerunt sub ipsorum
Imperio ex allegata modo ratione. Sed ita sentiendum
existimo, Imperatorem dici mundi Dominum, sed quod
vel ejus potissimum partem habuerit, vel toti Orbi ob po-
tentiam invictam timorem incusserit, Kubach. Cent. I.
de cur. 9. qu. 2. Atque adeò verba accipienda synecdochy-
cè de majori Orbis parte etiam Luc. 2. prout notant H.
Grot. l. 2. de J. B. & P. c. 22. n. 13. & in annott. ad d. l.
Carpz. discuss. voti Septemvir. dog. 9. Dn. Christo-

Schütz Annott. ad Hist. Nat. Dom. ad verba:
πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, i.e. omnem terram habitabilem. Quamvis sint, qui asserunt, Imperatorem de jure quidem habere Imperium in toto, quam latè patet, mundo, licet de facto se nonnulli exemerint; quos prolixius refutat Kubach. cit. loc. & Joh. Andr. Crusius de jure præced. l. 3. c. 1.

Aphor. V.

In signibus demum, qualia sunt Aquila Imperialis, Diademata seu Corona clausa, Gladius, Sceptrum, Pomum aureum signo Crucis imposito conspicuum. De Aquila quamplurimæ prostant expositiones, quæ nonnunquam planè sunt incongruæ. Perhibent nimirum nonnulli insigne hoc Imperii Aquilam geminam desumptum esse è Deut. 28. v. 49. licet citius è pumice aquam, quam Aquilam Imperiale inde elicere possimus. Haud quidem improbandæ sunt explicationes nonnullæ Emblematicæ è sacris literis ad Aquilam istam translatæ. Sic Fridericus III. Imperator in sigillo suo majori emblematico Aquilam Imperiale hac inscriptione decoravit: Aquila Ezechielis sponsæ missa est de coelis: volat ipsa sine meta, quo nec Vates, nec Prophetæ evolavit altius, referente Boecl. not. Imp. l. 4. c. 1. n. 8. Illorum tamen opinio, si mihi rectius esse videtur, proxima est à veritate, censentium nempe, hoc Imperii insigne ab antiqua Romanorum, illud valde amantium, consuetudine desumptum, ac ad Imperatores nostros ad nostram usque ætatem esse propagatum. Bezman. Not.

dign.



dign. Illust. civ. sacr. Equest. diff. 6. c. 3. §. 4. Antiquitatem Romanam quod attinet, omni caret scrupulo, Romanos Aquilam test. *Josepho l. 3. Bell. Jud. c. 5.* ut Imperii signum, & velut omen victoriae, in quoscunque irent, habuisse. Exemplum possem (si brevitatis studium me non detineret) ex Sallustio allegare, narrante, Catilinam hanc Aquilam, cum Romanum Imperium occupare tentaverit, ut signum Dominationis quoque gessisse. Russici Imperii Insigne eandem esse ac Bicipitem quidem geminaque Corona instructam Aquilam, tradit *Olear. Itin. Pers. p. 51.* Quod mera arrogantia superioris seculi Tyrannus Johannes Basilides primum introduxit, quod sanguine Imperatorio cretus haberi vellet. DIADEMA in actu electionis novo Imperatori praefert PALATINUS, GLADIUM SAXO, SCEPTRUM BRANDENBURGENSIS, POMUM AUREUM BAVARUS. Et haec insignia merito Regalia appellantur, quibus in Imperii vacantis possessionem quasi mittitur Imperator, *Pancr. Lampad. art. 28.*

Aphor. VI.

Non tantum vero electionis negotium moderari, & absolvere Electores, sed etiam Ipsummet Imperatorem electum, ex formula praescripta, quam Capitulationem vocant, Imperio universo obligare debent, ad cuius observantiam juramenti religione adstringitur, docente *Pancrat. Lampad. cit. loc. & Brantlacht. l. 2. c. 1. § 36.*

Quini



Quin & Imperatori ritè electo Archi-Episcopus Colonien-
sis Aquisgrani Diadema ex speciali *A. B. tit. 4. §. primo*
quidem Et c. Privilegio citrà ullam contradictionem im-
posuit; donec inter Moguntinum & Colonensem litigium de Coronatione Ferdinandi IV. ortum est. Quod ta-
men amicabili transactione compositum, ita ut jus coro-
nandi in Diœcesi Coloniensi, Colonensis, in Mogunti-
na, Moguntinus, extra utramque, utriusque alternis vicibus
obtineant. Cujus transactionis tenorem refert *Limnæus*
obs. 4. ad A. B. c. 4. §. 3. & Oldenburg in addit. ad Limn.
enucl. p. 77. In Leopoldi coronatione tres Electores Eccle-
siastici simul Cæsari Diadema imposuerunt, *Pancrat.*
Lampad. art. 28. itemque Capitulat. Leopold. art. 37.
In novissima autem Imperatoris CAROLI VI. Coronatio-
ne Elector Moguntinus & Trevirensis hoc fecere, uti con-
stat ex *Diar. von der Krönung Käysers CAROLI VI*
pag. 43.

Aphor. VII.

AD hæc non eligendi modo & coronandi Imperatorem,
sed etiam justis de causis, si scilicet leges Imperiales
non observârit, sed ex mera malitia adversus eas deliquerit,
Eundem rursus degradandi, & à Solio Imperiali dejiciendi
habent potestatem. *Brautlacht. l. 8. c. 5. §. 11. Crusius*
lib. 3. c. 2. n. 70. Id quod præ ceteris contigit Wenceslao
à Patre optimo Carolo IV. nato, filio ignavo & inertii, mi-
nusque ad clavum Reipub. Rom. augustè torquendum
apto

en- apto , qui ob suam ignaviam ab Electoribus Anno 1400.
mo die 20. Augusti per sententiam in campo Brumbacensi latam
m- legitimè fuit depositus, teste *Trithem. Chron. Spanheim.*
iti- ad annum. 1400. eamque sententiam verbatim refert mo-
ta- dò cit. *Crusius dict. loc.* Proinde Elector Moguntinus ad-
ro- versus Henricum IV. Imperatorem ita pronunciâsse legitur:
nti- Quem meritum investimus, quare immeritum non deve-
bus stiamus? *Helmold. in Chron. Slav. cap. 32.* vel ut paulò
eux aliter *Sigon. l. 9. de Reg. Ital.* effert: Cur quem immeri-
mn. tum induimus, meritò non exuamus? Cùm illius sit desti-
cle- tutio, cuius institutio *Nov. 15. c. 1. in fin. & Glos. lit. f. ad h.*
rat. Quod juris etiam ipse Imperator Otto IV. Electoribus tri-
37. buit: Vestri, inquiens, ô Principes, juris esse fatemur,
tio- Imperatorem creare simul & destituere. *Naucier. vob. 3.*
on- *Chronogr. gener. c. 41.*

VL Aphor. *11 X.*

Illud quoque notandum, quod cùm in omni Republ. di-
ligenter advertere soleant hi, penes quos summa pot-
em, iesas residet, ne insciis ipsis conventus aut Comitia habean-
iales tur, test. *Heig. part. 1. quast. 4. n. 44. Bodin. de Republ.*
erit, *l. 3. c. 7.* nihilominus tamen peculiariter Electoribus indul-
endi tum esse legimus, ut ipsem et absque specialis venia impe-
sins tratione pro salute & incolumentate Imperii conventus cele-
slae brare queant A. B. c. 12. Quod jugiter haec tenus observatum
mi- à variis variorum Imperatorum, præcipue verò Ferdinandi
dum IV. & Leopoldi Capitulationibus art. 6. his verbis confir-
pto

D

ma-



matum fuit : Wir lassen auch zu / daß die sieben Chur-
Fürsten je zu Zeiten vermöge der Guldenen Bull / und
nach Gelegenheit und Zustand des Heiligen Reichs zu
Ihrer Nothdurft / und so sie beschwehrliches Obliegen
haben / zusammen kommen mögen / dasselbe zu bedenken/
und zu rathschlagen / das wir auch nicht hindern noch
irren / und derohalben keine Ungenade noch Widerwillen
gegen Ihnen sämbtlich und sonderlich schöpfen und em-
pfangen / sondern Uns in deme / und anderen / der Gul-
denen Bull gemäß gnädiglich und unverweiflich halten
sollen und wollen / sc. referente *Pancrat.*, *Lampad.*
art. 28.

Aphor. J X.

PRæterea & alia haud pauca jura & privilegia sunt Electo-
rum, de quibus sapienter ordinata leguntur in Constitu-
tione Carolina. Quantum enim est, quod vacante Impe-
rio, hoc est, Imperatore vel absente, vel gravissimè impe-
dito, vel planè vita functo, duo Electores Palatinus & Saxo,
(Cui tamen priori cum Electore Bavaro tempore Inter-
regni post obitum Ferdinandi III. lis intercessit : Utrum
Jus Vicariatus ad Electoratum Palatinum, an verò ad Co-
mitatum Palatinum Rheni respectu istius Principatus seor-
sim considerati ab Electoratu spectet ? Cujus fundamenta
referunt Spreng. *Jurispr. Publ.* p. 269. *Limn. obs. 5. ad*
A. B. c. 5. §. 1. Burgold. ad Instr. Pacis p. 1. disc. 26.
quibus illegalibus contradictionibus non obstantibus,

Ele-

Elector Palatinus semper in possessione Vicariatus fuit atque
mansit) Imperatoris absentis , impediti , vel de mortui vices
repræsentant , h. e. rerum & Jurium Imperii administratio-
nem habent , per A. B. tit. 5. §. 1. & Palatinus quidem in
partibus Rheni , Franconia & Suevia ; in ea tamen Franco-
niae parte saltem in qua Jus Franconicum viget , dict. loc.
§. 2 Saxo verò in illis locis Vicariatum exercet , ubi Jura
Saxonica obseruantur , loc. cit. §. 3. Et hic Vicariatus tam
longè latèque se extendit , quam Imperatoris Ipsius Impe-
rium , ita , ut nulla sit provincia Imperii Romani , quæ hisce
Vicariis non sit subjecta , test. Brautl. l. 3. c. 3. §. 15. & Olden-
burg. ad Limn. encl. l. 2. c. II. n. 23. Habentque hi Vica-
rii plenam & omnimodam autoritatem , temporalem &
generalem Jurisdictionem , merum & mixtum Imperium ,
administrationem & Jurisdictionem contentiosam &
voluntariam , adeo , ut ipsis liceat præsentare ad officia Eccle-
siastica , colligere redditus , investire de Feudis , Juramenta
Fidelitatis nomine Imperii recipere A. B. c. 5. §. 1. Exceptis
tamen Feudis majoribus , seu Vexilli , quæ vulgo Fahnlehn
appellantur , quorum investituram & collationem solus Im-
perator , vel Rex Romanorum sibi reservavit . A. B. dict.
loc. Carpz. de L. R. G. c. II. sect. 15. n. 13. Hippol. à La-
pide part. I. de rat. stat. c. 16. p. 291. Burgold. ad Instr.
Pac. p. I. disc. 10. n. 15.

Aphor. X.

Nec minus singulare , sed suprà omnia facile præminens
privilegium est illud PALATINI , quod coram Ipso

Imperator Romanorum , si conventus fuerit , stare & re-
spondere teneatur ex Constitutione A. B. c. 5. §. ult. Quibus
autem in causis id fieri possit , & an de causis Feudalibus,
in causa depositionis , appellationis , criminali &c. fusiūs
disputat Jacob. Lampad. in Republ. Rom. Germ. part. 3.
c. 16. n. 16. 17. seqq. Hoc tamen judicium Palatinus ipse
non alibi , præterquam in Curia Imperiali , ubi Impera-
tor præsens fuerit , exercere potest , veluti exerte legitur
in A. B. d. l.

Aphor. XI.

Porrò amplissimum inter alia modò non innumera pri-
vilegium est & illud , quòd à sententiis atque decisis
Electorum provocare haud liceat. Quod beneficium à
Carolo IV. Imperatore sibi tulerunt , uti patescit ex A. B.
tit. II. §. Und ordnen wir hiemit ausdrücklich sc. junct.
§. ult. Und eben solche Constitution wollen wir Krafft
Unsers gegenwärtigen Kaiserlichen Gesetzes usf die
Durchlauchtige Pfalz- Grasen beym Rhein / Herzog-
eu zu Sachsen und Marckgrafen von Brandenburg/
als weltliche Thur-Fürsten / deren weltliche Erben/
Nachkommen und Unterthanen erstrecket haben. Cujus
privilegii generalis ratio in eo consistit , quòd nimiriū
Imperator exploratā Electorum fide ac singulari industria
persualum tenuerit , eos pro sapientia & luce dignitatis suæ
non aliter , ac ipse judicatuos esse. Carpz. lib. 3. tit. 12.
Resp. 126. Quam ob causam Imperator Justinianus noluit

à magnificis suis judicibus appellari l. in offerendis C. de ap-
pellat. nec à Praefecto Prætorio l. un. ff. de offic. Praef.
Præt. atque ut evidenter péricula & incommoda subdito-
rum in locis longè remotis Appellationes exercentium
arg. Nov. 41. & 50. Quò etiam respiciunt verba gene-
ralia privilegii Sigismundi de non evocando : Umb des
Willen / daß desselben Reichs-Unterthanen seeliglich an
ihrem Wesen zu nehmen / sc. referente Petr. Albino
Chron. Misn. tit. 16.

Aphor. XI I.

EX quibus omnibus liquido patere arbitror , maximam
esse dignitatem atque autoritatem Electorum , & tan-
tam quidem , ut mirum videri debeat , si Regibus æqui-
parentur , quod faciendum autumant Schard. de Elect.
orig. in proœm. Albin. cit. loc. Si enim Praefectum Præ-
torio Regibus comparavit Theodoric. apud Cassiod. l. 6.
c. 3. ita , ut Praefectura Prætoriana instar Imperioriæ di-
gnitatis habeatur , nisi quòd purpuræ trabeæque usu ca-
reat , prout annotat Juret. ad Symmach. epist. 12. Si Le-
gati Pyrrhi Senatum Romanum Regum confessum judicâ-
runt Flor. l. 1. c. 18. Si Cardinales S. Romani Pontificis , ob
amplitudinem gradus Regibus conferri volunt ; Cur non
etiam Regalis prærogativa Ordini Magnifico Electorali,
& cæterorum Imperii Principum sortem aliquam multis
parasangis antecedenti tribuatur ? Desunt illis quidem no-

mina & Insignia Regia , sed rem ipsam Ipsi tenent,
attest. Heig. p. 1. q. 4. n. 51.

Aphor. XIII.

ENIM verò quis negabit in offensione Illustrissimorum Electorum crimen. læsæ Majestatis committi ? Ob specialem dispositionem A. B. tit. 24. §. So jemand mit Fürsten ic. *in verb.* So soll derselbe / als der an der Majestät schuldig / mit dem Schwerdt gestrafft / und alle seine Güter unserm Fisco geeignet werden ic. Sunt enim Electores membra Imperatoris , & pars Corporis Ipsi. A. B. *dict. loc.* Cùm igitur in Imperatorem crimen læsæ Majestatis committi queat , uti præter L. Julianus ostendit *Carpz. Proc. Crim.* p. 1. q. 41. *Heig. p. 1. q. 4.* n. 26. utique etiam adversus Electores illud designatur : quia quicquid de toto dispositum est , etiam de parte censetur dispositum : juxta communem DD. sententiam. Et certè si crimen læsæ Majestatis committitur ab eo , qui de nece Consiliariorum , & Senatorum Imperatoris tantum cogitat , secundùm l. quisquis C. ad l. Jul. maj. quidni potius adversus Illustrissimos Electores perpetrari possit ? Quippe quorum humeris Imperii Celsitudo committitur , quorumque ex germine quasi , decedente Imperatore , Aquila , quæ umbra alarum suarum Occidentein tegit , producitur , juxta Arum. ad A. B. c. 6. Quorum Collegium basis est atque fundamentum Imperii Romano Germanici. *Carpz. dict. loc. n. 64.* Nec obstare videtur , quod non nulli



nulli adstruunt, videndum esse, an Electores odio Imperatoris lèdantur, nec ne? Generaliter namque A. B. loc. *suprà alleg.* So jemand mit Fürsten &c. loquitur, nec distinguit inter eum, qui vel odio Imperatoris, vel Electoris privato insidias posuerit; Lege autem non distinguente, nec nos distinguere debemus, l. 3. in fin. ff. offic. Praef.

Atque hæc sunt, quæ de *ORIGINE & PRIVILEGIIS SERENISSIMI ELECTORALIS COLLEGII*, pro ingenii viribus & modulo scribere ausus fui. Restarent quidem adhuc nonnulla de Privilegiis, quæ *ELECTORIBUS* cum ceteris Imperii *STATIBUS* sunt communia; sed cum hæc cura plures clepsydras requirat, atque angustis paginarum cancellis includi nequeat: Anchoram hic figo, B. Lectorem obnixè rogans, ut de his placidè judicium ferre, & si qua in re erratum fuerit, fragilitati humanæ condonare velit; Cum omnium habere memoriam, & in nullo penitus peccare, Divinitatis potius sit, quam mortalitatis, l. 2. C. de vetr. Jur. enucl. Interim vale B. L. faveque Autori.

F I N I S.




Rh 1329

VOA
18

ULB Halle
007 756 798

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



21
adser. kgl. p. 124.
omitt.

PERBREVES
MEDITATIONES
DE
ORIGINE
ET
PRÆROGATIVIS
ELECTORUM,

editæ *Kl. 1329 I*
à

OANNE CHRISTIANO WACHTERO,
Jcto & Advocat. ord. Heidelberg.

Franckofurti ad Moenum 1719.



11.0